



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

I. Hyperduliae species B. Mariam Deiparam virginem singulari charitatis
affectu complecti.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

HYPERDVLIÆ SPECIES.

B. MARIAM
DEIPARAM VIRGI-
 nem singulari charitatis
 affectu complecti.

§. I.

B. MARIA Deipara Virgo, est meri-
 tò, & singulariter amanda, non eò
 tantum, quòd Christi Domini nostri Ma-
 ter, sed etiam quòd nostra mater, nostri-
 que amantissima sit; nec eò tantum dili-
 genda, quòd amantissima nostri mater
 sit, sed &, quòd secundum Deum, filium
 suum, sit omnino bona. Bonum enim
 teste Philosopho & Angelico Aquinate
 Doctore, est amoris obiectum. Nec ob
 hanc tantummodo causam **DEI** geni-

Causa ob quas B. V.

trix

singulariter amanda.

Arist. in Eth. S. Th. 1. 2. q. 27.

erix singularem meretur amoris affectum, sed etiam quòd generosissima, nobilissima, sapientissima, fortissima; clementissima, mitissima, potentissima, castissima, integerrima, opulentissima, nullo non virtutum genere ornatissima au-
 diat ac sit. Nec ob hasce tantùm causas modò memoratas diligere dignissima est Dei Mater, sed etiam quod ab eâ quasi cornucopiæ, omnis in nos affluentia beneficiorum promanarit hodièq; promanet, teste S. Bernardo cum ait : Cuncta nos habere voluit (DEVS) per MARIAM.

Atque has & id genus alias amandæ Virginis causas quam plurimas cum Berchmannus intimè perspexerit, ecquis edifferat, quanto hanc Matrem Virginem amore dilexerit? *Berchmanni*

singularis in B. V. charitas.

Cæterum eius in Virginem singularis omnino charitatis affectus vniuersim vel indeliquet, quòd quamplurimis per diem Religionis in eam officijs defungebatur illo præ cæteris repetito sæpius

pius proposito, Virginis adamandæ. Verum enim vero, nemo disertius, clarius, melius explicauerit, quanta charitate Virginem Berchmannus dilexerit, quam Berchmannus ipse, cuius hæ sunt syngraphæ: Actuabo me sæpe in his actibus, velle me amare B. Virginem etiam per totum Rosarium. *Cepar. p. 284.*

Et: Non sum securus nisi habeam verum, & filialem affectum erga B. Virginem. *pag. 249.*

Et: Si amauero MARIAM, securus sum salutis, & impetrabo quidquid libuerit à Domino, adeoque omnipotens ero. *pag. 158.*

Et: Offeram omnes cogitationes, verba, & opera mea Deo &c. protestando me velle viuere & mori verum filium Ecclesiæ, B. Virginis, & Societatis IESV. *pag. 240.*

Et modum quo sacram synaxin accederet describens: Offeram, inquit, hæc desideria Christo per B. Virginem.

Et sumpto iam sanctissimo Eucharistia

stia

stia Sacramento suos religiosos affectus indicans : Elice, inquit, firmum propositum seruiendi Matri eius B. Virgini.

Item similes pietatis describens affectus, quos inter sacra Missarum solennia Domino eleuato colloquens exprimebat : Petam, inquit, à Christo affectum erga B. Virginem.

Porro matutinas preces suas & exercitia spiritualia recensens : Eliges, inquit, tibi patronum præsentis diei & offeres per manus illius has preces, primò symbolū Apostolorū protestando te velle esse verū filiū sanctæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ; secundo orationem Sodalitatis (cuius initium est : Sancta Maria Mater Dei, & Virgo &c.) protestando te velle esse verum filium B. Virginis ; tertio, formulam votorū, protestando te velle esse verum filium Societatis. Deinde proponam quidquid hodie cogitaturus, dicturus, facturus sum, erit purè ad gloriam Dei, vt possim impetrare verum affectum erga B. Virginem.

Rursum suæ pietatis affectus, quibus dum sacrosancto Missæ sacrificio assisteret, vteretur, exprimens : Egre-
diente, inquit, sacerdote cogita B. Virginem e-
gredi à Nazareth in Bethlehem cum S.
Iosepho, & comitare per iter difficile us-
que ad Euangelij recitationem. Ad of-
fertorium vide B. Virginem mendican-
tem hospitium, obstupesce & cor tuum
offer; ad communionem statue te ad
præsepe cum B. Virgine & ab eâ veniam
pete ponendi IESVVM in lecto cordis
tui. *pag. 230.*

Quin & in quovis cuiusvis operis
eius exordio, singularis etiam in Virgi-
nem affectus emicabat, vt ex his eiusdè
verbis apparet : O Deus meus, & omnia
propono hoc opus facere ad nominis
solius tui gratiam, vt tibi maximè pla-
ceam, & B. Virginem lætificem. *p. 227.*

Ecce quemadmodum Berchmannus
in omnibus suis cogitatibus & actibus
semper cum suo Domino, Dominam
copularit; quemadmodū nil nisi IESVM

MARIAMQUE spiravit, quemadmodum
vtriusque gloriæ omnia opera sua de-
dicavit.

Sed enim qui MARIÆ tam fuit de-
votus ac memor vivens, nunquid fuit
immemor moriens? Absit. Nam filij
affectus aliàs erga Matrem nat̄, aliis est,
naturalis autem affectus ac motus in
fine velocior est. At Berchmanni affe-
ctus in Virginem, fuit affectus filij, ad
eòque quadamtenus naturalis, quam-
vis ei non naturaliter, sed divinitus in-
ditus, ac donatus. Quod autem in Berch-
manno fuerit affectus filij ad B. Virgi-
nem tanquam Matrem, syngraphæ eius
quas iam iamque adduximus, satis ab-
undèque testantur. Ergo cum fuerit
Marianus amor in Berchmanno quo-
dammodo naturalis, non violentus,
quid mirum, quòd in eo motus hic af-
fectusque fuerit velocior in fine. Videam-
us igitur quàm fuerit Marianus eius
affectus motusque sub vitæ mortalis fi-

*Berchmanni Cha- E nem
ritas erga B. V., etiam in morte.*

nem velox & ardens, quia motu calor
 ignisque gignuntur. Interrogatus ergo
 moriens Berchmannus à non nemine
 Societatis IESV presbytero his verbis :
 Berchmannus, si mille corda haberes,
 nonne Mariam mille cordibus amares?
 Respondit: Mille cordibus amarem.
 Cúmque idem Societatis IESV presby-
 ter eidem Berchmanno diceret : Nunc
 oportet amare Christum & B. Virginem,
 quam amasti in vitâ, & amabis in mor-
 te; Respondit: Quam conatus sum
 amare in vitâ & ipsa amabit me in morte.
 Cúmque idem presbyter inferret : Et
 utrumque amabis in æternum? Berch-
 mannus discrete respondit: Ita sperò.

Porro iam morti propinquior, Maria-
 næ tamen charitatis vsque memòr, ad
 Magistrum suum conuersus, eidem pol-
 licitus est, impetraturum se cõmilitibus
 & condiscipulis suis omnibus sincerissi-
 mum in Virginem Matrem affectum.
 Deinde sodalibus suis omnibus ad se
 moribundum comiter inuisentibus, nihil

æque

æquè commendauit vt religiosissimum
(secundum patriam soli Deo debitam)
in B. M A R I A M Deiparam Virginem
Hyperdulix cultum.

Ad hæc cum iam morte propius ab-
esset: Ne me deseras, inquit, M A R I A, ne
me fallas; filius enim tuus sum, tu scis
quia iuravi. Et: Protestor me velle vi-
uere & mori verum filium B. M A R I A E
Virginis. Et: Nunquam acquiescam
donec obrinuerò amorem tenerum er-
ga dulcissimam meam Matrē M A R I A M.

pag. 187. pag. 163.

His & id genus affectibus Berchman-
ni cor (cum iam naturalis calor minue-
ret, sed interea Marianus, diuinusque
augeret) morientis æstuauit.

Deniq; quanta Berchmannus in Vir-
ginem charitate flagrarit, reliquæ omnes
Hyperdulix species, quas deinceps arbi-
trari subiectas licebit, & quibus ipse
Berchmannus eandem pijs-^{si}mè venera-
tus est, satis abundeque declarant.

§. II.

Primum Hyperdulie premium

Fuit, mutuus siue reciprocus Magnæ
 Matris in Berchmannum tanquam filiū
 charitatis affectus, utpote cuius certissi-
 ma promissio & oraculum sit: Ego dili-
 gentes me diligo. Charitas enim non
 nisi mutua Charitate compensari po-
 test; adeo pretiosa est. Nam: si dederit
 homo omnem substantiam domus suæ
 pro dilectione, quasi nihil despiciet
 sam. *Cant. 8. 7.*

§. III.

Alterum Hyperdulie premium.

Alterum Hyperdulie præmiū Berch-
 manno diuinitus repositum, fuit certa
 consequendæ Beatitudinis æternæ fidu-
 cia, & indubia quidquid à Domino li-
 buisset impetrandi spes ac potentia
 quodammodo infinita, quemadmodū i-
 psemet hisce verbis expressit. Si amauero
 MARIAM securus sum salutis perseue-
 rantiaq; in arrepto religionis statu; im-
 petrabo quidquid libuerit à Domino,
 adeoq; omnipotens ero. *pag. 158.*